

leiensis aecclesia ad pristinum reformatum decus nunc et in perpetuum».

Sane et id necessario indicandum duximus, quod Sychardus, id est palatinus presbyter, et Theoto, vir spectabilis, sacrorum imperatorum missi, eum essent prius in civitate Tarvisio, ad Venerium, Gradensem episcopum, suum missum miserunt precipientes, ut ipse ad synodum, quae Mantuae futura erat, cum auctoritatibus, si haberet, pro defensione suae aecclesiae paratus adesset. In qua eius prestolantes adventum diebus V resederunt. Sed propter quorundam episcoporum ad hostem pergentium impedimentum, iam coepto ipsorum itinere, plus expectare nequiverunt.

Tamen, adhuc eis stantibus et abire volentibus, sic tandem venit Tyberius, diaconus et oeconomus aecclesiae Gradensis, a Venerio, eiusdem castri episcopo, missus, obsecrans, ut auctoritates, quas pro sua aecclesia duxerat, in praesentia synodi legerentur. Relectis itaque omnibus, repperimus exemplaria e nullius manu esse roborata; et quamvis ita sint, si essent firmata, magis Aquileiensi ecclesiae quam suae pertinerent, cumque a synodo sciitaretur, utrum horum exemplorum autentici in archivo suae ecclesiae tenerentur necne, respondit nihil amplius se habere, nisi synodus ab Helia, Aquileiensi patriarcha, in castro Gradensi, quod plebs eius erat, actam fuisse, cuius initium est: «Cum in castro Gradensi ac plebe sua Helias, patriarcha sanctae Aquileiensis aecclesiae, cum Martiano, Leoniano, Petro, Vindemio, Vigulo, Iohanne, et reliquis consacerdotibus suis concedisset *et reliqua*»; item subscriptiones episcoporum huius synodi in plebe Gradensi actae: «His gestis apud nos habitis, subscriberunt Martianus Opitargensis, Leonianus Tyborniensis, Petrus Altinatis, Helias, sanctae Aquileiensis aecclesiae patriarcha, Vindemius Cessensis, Vigulus Pataviensis, Iohannes Calleianensis, Clarissimus Concordiensis, Patricius Emoneensis, Hadrianus Polensis, Maxentius Iuliensis, Severus Tergestinus, Iohannes Parentinus, Aaron Avoriensis, Materninus Sabionensis, Flaminus Tridentinus, Vigilius Scavarasiensis, Laurentius Feltrinus, Martianus Petenatis»;